SUPPLEMENTUM

Ad varias Collectiones Operum

CLAR. VIRI

Z. B. VAN ESPEN,

J. U. D. & SS. Canonum Profeſſoris.

IN ACADEMIA LOVANIENSI,

Continens præclara juris Reſponſa, Epiſtolas & varia opuſcula hujus Doctoris, nondum edita; necnon momentoſas ejuſdem Lucubrationes jam editas, quæ in omnibus ejus operum Collectionibus, etiam in ultimâ anni 1753, omnium locupletiore, deſiderantur.

Cum variis Monumentorum Appendicibus.

BRUXELLIS,

Apud HENR. VLEMINKX, *Typogr. prope Forum,*
ET
EMMAN. FLON, *Bibliop. prope offic. Monetalem.*

M. DCC. LXIX.

Cum approbatione Reg. Libr. Cenſ.

APPROBATIO
CENSORIS REGII.

EA eſt miſeranda prorsùs mortalium conditio, ut qui indefeſſis laboribus de Republicâ benè merentur, invidiam ſæpè patiantur & ærumnas. Hanc expertus eſt fortunam Vir Clariſſimus ZEGERUS BERNARDUS VAN ESPEN, Juris utriusque Doctor, SS. Canonum in Academiâ Lovanienſi Profeſſor, Juris Divini & Eccleſiaſtici, ac imprimis Juris Belgico-Eccleſiaſtico-publici propugnator acerrimus & vindex. Vix enim in lucem prodierant quæ de *Promulgatione Legum Eccleſiaſticarum*, de *Placito Regio*, de *Recurſu ad Principem*, aliisque plurimis ad Regiæ Majeſtatis Belgarumque jura ſpectantibus, acutiſſimè diſſeruerat, cùm undequàquè à Syſtematis adverſi fautoribus, irrito quidèm conatu, impetita fuêre. Vicit tamen aliquando inimicorum ſuorum conſtans inſectatio. Vulgaverat Doctor emeritiſſimus de quæſtione Scholaſticâ Diſceptationem quampiam cui titulus: *Reſponſio Epiſtolaris &c.*; tot inter doctiſſimas lucubrationes hanc præcipuè arripuêre queis opinio altera placebat, ut Autorem dejicerent exturbarentque. Et ſanè adeò apud Auguſtiſſimum, Auguſtiſſimique Adminiſtros allaborarunt, ut indefenſo viro graviſſimo, ſuffragante procellosâ temporum tempeſtate, nota huic-ce Opusculo inuſta tandem fuerit. Verùm non Autoris famæ, non operum ejus celebritati quidquam ademère intentatæ in eum molitiones. Ceſſit quidem inimicis, ac paulò poſt fatis, vir dierum ac meritorum plenus: Aſt vindicat poſteritas Doctorem omni encomio dignum, immortalitateque jam pridem donatum. Europa tota, Academiæ omnes, litterati quicumque, profundiſſimam ingenii perſpicacitatem mirantur, venerantur adeò, ut non animi ſententias protuliſſe, ſed Juris oracula edidiſſe videatur. Quin & in ipsâ urbe Româ quanto ſit in pretio quantique ponderis, in dirimendis quæ de Jure Eccleſiaſtico paſſim occurrunt, quæſtionibus, nullus eſt qui ignoret, ovante Natione Belgicâ, tanti viri ortu, laboribusque illuſtratâ.

Inter varias quæ prodière Eſpenianorum operum Editiones, primas certè partes tenet ea quæ anno 1753. Lovanii [*Pariſiis*] in lucem producta eſt, quatuor complectens volumina. Supererant tamen Conſultationes, Diſſertationes

SUPPLEMENTUM
Ad varias Collectiones operum
Z. B. VAN ESPEN,
J. U. D. & SS. Canonum Profeſſoris in Univerſitate Lovanienſi.

PARS PRIMA.
CONTINENS VARIA JUDICIA ET JURIS RESPONSA.

I.
RESOLUTIONES CASUUM
Circa Jus Patronatus Quorumdam Nobilium Catholicorum in Hollandia, ab Eſpenio, aliiſque Doctoribus Subſcriptæ.

MONITUM.

Quæ ſequuntur de Jure Patronatus *Judicia petita & obtenta fuerunt* à D. de Neercaſſel. *Hic ſub titulo Epiſcopi Caſtorienſis Trajecti ad Rhenum Archiepiſcopus, Vicarii Apoſtolici munere in Fœderato Belgio tunc fungebatur.*

Prima ex his Reſolutionibus data eſt die nono Julii an. 1682. *Typis paulo-poſt edita prodiit in lucem unà cum Diſſertatione, cui adeſt hic titulus:* Diſſertatio, quâ expenditur num Nobilibus Catholicis in Hollandiâ jus competat pro arbitrio ſuo deſignandi ac nominandi Paſtores ſuper populum Catholicum.

Diſſertationis hujus Auctori item mota D. Nicolaus du Bois, *Lovanii Sacrarum litterarum Profeſſor; ſcripſit enim Diatribam, cui hunc fecit titulum:* Diſſertatio Canonica D. N. du Bois, in qua contra R. Epiſcopum Caſtorienſem &c. contendit Nobilibus quibuſdam Catholicis in Hollandiâ jus competere, pro ſuo arbitrio, nominandi & præſentandi Epiſcopo ſeu Ordinario Paſtores.

Ubi hæc Diſſertatio publici juris facta eſt, læſam Sedis Apoſtolicæ doctrinam & auctoritatem exiſtimavit D. Tanara Bruxellis Internuncius. Jus autem D. Neercaſſel illæſum remanſit; ſtabat enim fretum [illegible] *non ſolùm Canonicæ diſciplinæ principiis, ſed etiam plurimis Romanorum Pontificum & Nunciorum Apoſtolicorum Deciſionibus.*

Subiratus Internuncius culpavit Dominum du Bois. Ab eo exegerat ut ſuæ Diſſertationis autographum ſibi traderet; ſed promiſſis non ſtetiſſe D. du Bois viſus eſt Internuncio; hic nullum non movit lapidem ut manuſcriptum & exemplaria typis mandata Lectoribus ſubduceret. Nicolaus autem du Bois ſcripſit viro nobili, ad quem ſuam Diſſertationem miſerat, ut eam negligeret, velut ex imprudenti calamo profectam. Sed utcumque non ita præcavere potuit, quin hujus Diſſertationis ſtatim prodierit in lucem Confutatio; cui ſuus Auctor hunc dedit titulum: Canonicæ animadverſiones in Diſſertationem Canonicam D. Nicolai du Bois, &c.

Varia hæc opuſcula eodem tempore Romam celeri curſu miſſa ſunt. De iis mentem Innocentii XI. declaravit Cardinalis Cibo, à Sanctioribus Conſiliis, in Epiſtola quam ad D. de Neercaſſel direxit. Scripta illa eſt 20. *Novembris* 1683. *En ejus excerptum.*

Illuſtr. ac Rme Domine.

Permoleſta acciderunt Sanctitati Suæ quæ Nicolaus du Bois pro Fœderati Belgii Nobilibus ſcripſit; ac mihi curandum per Abbatem S. Mariæ (*Bruxellis Internuncium*) demandavit, ne quid ex iis Eccleſiaſtica libertas detrimenti capiat. Hæc ad Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ litteras reſcribere me juſſit. Sanctitas Sua Apoſtolicam Benedictionem Pontificiæ in te charitatis indicem tibi amanter elargitur; dum ego veterem meam voluntatem dignitati ac commodis tuis paratam eſſero, & læta omnia cum diuturnâ ſoſpitate tibi à Deo Auguror &c.

Aderat interim unus è Proceribus qui præ cæteris Jus Patronatus ſibi pugnaciùs arrogabat. Is excandeſcens in Presbyterum, quem Paſtoratui Terræ hujus viri præfecerat D. de Neercaſſel, vim illi intulit. De iſto flagitio factus certior Archipræſul petiit à Doctoribus Lovanienſibus novas Conſultationes, quæ virum nobilem ad ſaniorem mentem revocarent.